



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Beneficiarius onera a fundatore iniu[n]cta implere tenetur, nisi sint legitime sublata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO III.

Ex consil. 39. in Novis deest in antiquis.

Hospitalis de bonis laici erectum, in quo non adest aut altare, aut capella, aut campanile, auctoritate Episcopi erectum non presumitur: illud tamen Episcopus mortuo fundatore visitare potest vigore Conc. Trid. sess. 22. de reform. c. 8. & 9. tollentis omnia privilegia, & consuetudines etiam immemorabiles contrarias, eiusdemque Hospitalis ratio deputatis reddi debet, sed Episcopo, si voluerit, presente.

TITVLVS XXX.

De iure patronatus.

S V M M A R I V M.

- 1 Beneficiarius onera a fundatore iniuncta implere tenetur, nisi sint legitime sublata.
- 2 Patronum faciunt dos, edificatio, fundus.
- 3 Patrono intra tempus non presentante, episcopus libere beneficium conferre potest.
- 4 Ius patronatus spatium 40. annorum prescribitur.
- 5 Patronatus ex presentatis aequi idoneis ad curatum vni gratificari potest.
- 6 Presentatio ab excommunicato declarato facta, non valet.
- 7 Presentatio ad curatum, & collatio facta minori 25. annorum, nulla.
- 8 Filius legitimus ex spurio clerici natus, non prohibetur illo iure presentari ad capellaniam iurispatronatus dicti clerici.
- 9 Collegiata tam secularis, quam regularis, patronatum laicus habere potest.

DECISIO I.

Ex consil. 1. deest in Novis.

Beneficiarius onera a fundatore imposta implere tenetur, c. Eleuterius, 8. q. 2. & c. super eo, de paroc. & notat Concil. Trid. sess. 25. c. 5. de reform. nisi vel compositione patroni, vel auctoritate episcopi loci, vel legitima prescriptione, fuerint postea iuste sublata cap. de quarta, c. ad aures, & c. illud autem, de prescri.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 7.

Cum tria sint, quorum quodlibet ad querendum ius patronatus sufficit, nempe traditio fundi, & edificatio, & dotatio, c. Abbatem, 2. 18. q. 2. & cap. nobis, de iure patron. Gl. in c. p. mentis, 16. q. 7. & Pan. in c. cum ecclesia vultera, de electio merito Rex Francorum fundi traditione patronus Monasterij Sanctae Trinitatis Romae in Monte Pincio habetur, in cuius honorem monasterium praefatum a solis Gallicanae nationis viris religiosus gubernari debet.

DECISIO III.

Ex consil. 3. deest in Novis.

Episcopus beneficium, cuius ius patronatus ad laicum pertinet, sine consensu, & vocatione patroni, ecclesie alicui vniere non potest, patrono tamen intra tempus legitimum, quod est quatuor mensium, si sit patronus laicus non presentante, iure deuolutionis beneficium illud conferre potest, cap. qui, c. cum propter, de iurepat. & cap. 1. tit. eod. in 6.

DECISIO IV.

Ex consil. 4. deest in Novis.

Abens ius patronatus super aliquo monasterio, & ius presentandi in Abbatissam, quam ipse idoneam iudicauerit, ita vt ultra quadraginta annos institutio per-

petua deberetur Abbatissa presentata, quae institutiones perpetuae presentatis per ordinarium fieri solebant, non obstantes vsu recepto de Abbatissa trienniali eligenda, adhuc etiam in Abbatissam perpetuam, idoneam quamcumque maluerit presentare potest, & ordinarius institutione illius perpetuam facere tenetur, non solum ex eo quod prescriptio quadraginta annorum sufficit, & sit legitima, cap. de quarta, de prescri. sed etiam quia institutio praetorum, & beneficiariorum iure communi perpetua esse debet, cap. satis peruersum, d. 56. & c. inuentum 16. q. 7. & reditio ad ius pristinum, & antiquum est fauorabilis, cap. exordio dist. 35. & Felin. in c. cum omnes de consue.

DECISIO V.

Ex consil. 5. 6. alias deest in Novis.

Concurrentibus duobus presentatis ad beneficium curatum de iure patronatus clericorum, si ambo reperiantur aequi idonei, stante Concilij Tridentini decreto sess. 24. cap. 18. de reform. ius gratificandi ad patrum presentatorem, & non ad episcopum institutorem pertinet. Sed & duobus presentatis, & alter altero dignior reperiatur quamuis patronus ecclesiasticus dignum presentando digniore posthabito, peccat, presentatio tamen digni valet, c. monasterium, 16. q. 7.

DECISIO VI.

Ex consil. 7. alias 1.

Presentatio ad beneficium a patrono excommunicato declarato facta, aut institutio virtute illius, secuta, non valet: Io. And. & Pan. in canonibus, de iure patron. Sed neque excommunicatus declaratus nisi quoad institutionem, fructus suos facit. Gl. in cap. pastoralis, §. verum, de appel.

DECISIO VII.

Ex consil. 8. deest in Novis.

Presentatio ad beneficium Curatum, & collatio, seu institutio facta minori aetate vigintiquinque annorum saltem captorum, inualida, & ipso iure nulla censenda est, c. cum iniunctis, §. inferiora, de elect. & tam ordinarius instituendo, & patronus presentando, quam presentatus possessionem capiendo peccat, nec fructus beneficii facit suos, cap. graue de praeb. & Felin. in cap. in nostra, de rescript. corol. 2. sed nouam collationem cum contento patroni, & institutionem ex dispensatione Papae obtinere tenetur, antequam dicti beneficii fructus suos facere possit.

DECISIO VIII.

Ex consil. 4. in Novis, deest in antiquis.

Clericus filiam vnicam habens, quam per rescriptum Principis legitimauit, vt in omnibus suis bonis succederet, si in vltima voluntate capellaniam institutam pro anima sua relinquat, cum clausula, vt in ea succedat clericus magis proximus, & consanguineus eius, bonae vitae, & famae, absque vlla Papae dispensatione, clericus filius legitimus praedictae filiae, nepotique clericus fundatoris, si bonae vitae, & famae sit, ad praefata capellaniam presentationem non solum admitti, sed etiam in partibus terminis, attendente voluntate testatoris, vt hisque testamenti inspectis praefertur debet, Gl. in c. quia clerici, verb. filij, de iure patron. cum naturaliter inspecto iure naturae etiam filij bastardi, & spurij ex familia, parentela, domo & sanguine defuncti procedere dicantur, in eisque naturalis effectus cadat. Arg. 1. pronuntiatio, §. familiae, C. de verb. signific.

DECISIO IX.

Ex consil. 6. in Novis, deest in antiquis.

Collegiata tam secularis, quam regularis patronatum, & ius Abbatissam, aut praetatum presentandi, ex Papae privilegio laicus habere potest, cui iure communi competit, vt beneficiandos, & monachos dos superiori presentare possit, qui habentes qualitates necessarias admittere tenetur.

TITV.